OFFICIVM
DE SS. SACRAMENTO
Pro Clericis Regularibus.
EX CONCESSIONE
CLEMENTIS PAPAE X.

Qualibet ſeria quinta per annum, non impedita officio nouem lectionum, recitandum.



1872

ROMÆ,
Ex Typographia Reu. Cam. Apoſt. M. DC. LXXIV.

Superiorum Permiſſu, & Priuilegio.

D. CAROLVS PIGNATELLVS
Clericorum Regularium Præpoſitus Generalis.

Dilectis in Domino filijs Clericis Regularibus ſal.

AD noſtri Ordinis clauum Diuina diſpoſitione immeritò licet, appliciti, hoc potiſſimū deſiderio, pectus noſtrum ſenſimus extimulari, vt quæ in Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ac Puriſſimam Dei Genitricem, eximia in Noſtræ Congregationis Conditoribus eluxerat pietas, in vobis omnibus magis, ac magis excreſcat: Hanc enim Sanctiſſimus Noſter Parens Caietanus maximo Chriſtianæ Religionis bono excoluit; hanc exemplo, cohortationibus promouit; hanc nobis in noſtris Conſtitutionibus enixè admodum ſuaſit: hanc & noſtri hucuſque Patres profeſſi ſunt; ita vt in Generalibus etiam Comitijs, Beatiſs. Virg. Deiparam ſpeciali cultu, ac deuotione, in Præcipuam noſtri Ordinis Patronam elegerint. Vt autem tam laudabile pietatis Inſtitutum foueri poſſit, ac nouis etiam incrementis augeri, duximus, humillimis precibus à Sanctiſsimo D.N. CLEMENTE X. expoſcere, vt ſingulis quintis ferijs, feſto nouem Lectionum non impeditis, officium de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento: ſingulis itidem Sabbathis de B. ſemper Virgine Maria, liceret Noſtratibus recitare. Annuit perbenignè, prò ſua in noſtrum Ordinem munificentia, ac deuotione, Sanctiſſi-

inus. Nos igitur, vt concordi vbique harmonia pſallentium voces reſpondeant, & ad generalium rubricarum formam aptari poſſint Diuinæ huiuſmodi laudes, typis mandari curauimus prædicta officia cum ſuis lectionibus, pro temporum varietate diſpoſitis. Peritiores in ſacris Ritibus conſuluimus, quorum vna fuit omnium ſententia, debere nos ab huius Indulti exercitio in ferijs Quadrageſimæ, Aduentus, & Quatuor temporum, prorſus abſtinere, quippe ſpeciali ab Eccleſia ritu, huiuſmodi coluntur dies, quod aliàs Sac. Rit. Congregatio declarauit. Par enim eſt, vt hæc minima Congregatio exactam rubricarum obſeruantiam, quod perpetuum fuit Maiorum noſtrorum ſtudium, excolat adamuſſim. Benè valete in Domino. Dat. Romæ in Aedibus Sancti Silueſtri Montis Quirinalis die 2. Iulij **M. DC. LXXIV.**

OFFICIUM DE SS. SACRAMENTO

AD VESPERAS.

Antiphona. Sacerdos in æternũ.

Pſalmus 109.

DIxit Dominus Domino meo: * Sede à dextris meis: Donec ponã inimicos tuos, * ſcabellũ pedũ tuorũ.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum: * ex vtero ante luciferum genui te.

Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: * Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Melchiſedech.

Dominus à dextris tuis,* confregit in die iræ ſuæ reges.

Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: * conquaſſabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet:* propterea exaltabit caput.

Antiph. Sacerdos in æternum Chriſtus Dominus ſecundum ordinem Melchiſedech, panem & vinum obtulit.

Antiph. Miſerator Dominus.

Pſalmus 110.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo:* in conſilio iuſtorũ, & congregationẽ.

Magna opera Domini:*exquiſita in omnes voluntates eius.

Cõfeſſio & magnificẽtia opus eius: * & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus: * eſcam dedit timentibus ſe.

Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui: * virtutem operum ſuorũ annuntiabit populo ſuo.

Vt det illis hæreditatem Gentium: * opera manuum eius veritas & iudicium.

Fidelia omnia mandata eius: confirmata in ſæculum ſæculi,* facta in veritate & æquitate.

Redemptionem miſit populo ſuo: * mandauit in æternum teſtamentum ſuum.

Sanctum & terribile nomen eius: * initium ſapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: * laudatio eius manet in ſæculum ſæculi.

Antiph. Miſerator Dominus eſcam dedit timentibus ſe in memoriam ſuorum mirabiliũ.

Antiph. Calicem ſalutaris.

Pſalmus 115.

CRedidi, propter quod locutus ſum: * ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo:*Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino,*pro omnibus, quæ retribuit mihi?
Calicem ſalutaris accipiam: * & nomen Domini inuocabo.
Vota mea Domino reddam coram omni populo eius:*pretioſa in cõſpectu Domini mors ſanctorum eius.
O Domine, quia ego ſeruus tuus: * ego ſeruus tuus,& filius ancillæ tuæ.
Dirupiſti vincula mea: * tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo.
Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi eius:* in atrijs domus Domini,in medio tui Ieruſalem.
Antiph. Calicem ſalutaris accipiam, & ſacrificabo hoſtiam laudis.

Antiph. Sicut nouellæ oliuarũ.

Pſalmus 127.

Beati omnes qui timent Dominum,* qui ambulant in vijs eius.
Labores manuum tuarũ quia manducabis: * beatus es,& benè tibi erit.
Vxor tua ſicut vitis abũdans,* in lateribus domus tuæ.
Filij tui ſicut nouellæ oliuarũ, * in circuitu menſæ tuæ.
Ecce ſic benedicetur homo, * qui timet Dominum.
Benedicat tibi Dñs ex Sion: * & videas bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.
Et videas filios filiorum tuorũ: * pacem ſuper Iſrael.
Antiph. Sicut nouellæ oliuarum, Eccleſiæ filij ſint in circuitu menſæ Domini.

Antiphona. Qui pacem ponit.

Pſalmus 147.

Lauda Ieruſalem Dominũ:* lauda Deum tuum Sion.
Quoniam cõfortauit ſeras portarum tuarum:*benedixit filijs tuis in te.
Qui poſuit fines tuos pacem: * & adipe frumenti ſatiat te.
Qui emittit eloquium ſuum terræ: * velociter currit ſermo eius.
Qui dat niuem ſicut lanam: * nebulam ſicut cinerem ſpargit.
Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas: * ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?
Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: * flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.
Qui annuntiat verbum ſuum Iacob: * iuſtitias & iudicia ſua Iſrael.
Non fecit taliter omni nationĩ: * & iudicia ſua non manifeſtauit eis.
Antiph. Qui pacem ponit fines Eccleſiæ,frumenti adipe ſatiat nos Dominus.

Capitulum. 1.Cor.11.c.

Fratres, Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis,quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.

Hymnus.

Pange lingua glorioſi
Corporis myſterium,

San-

Sanguiniſque pretioſi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generoſi
Rex effudit gentium.
Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conuerſatus,
Sparſo verbi ſemine,
Sui moras incolatus
Miro clauſit ordine.
In ſupremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Obſeruata lege plenè
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.
Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit:
Fitque ſanguis Chriſti merũ,
Et ſi ſenſus deficit;
Ad firmãdum cor ſincerum
Sola fides ſufficit.
Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui:
Et antiquum documentum
Nouo cedat ritui:
Præſtet fides ſupplementum
Senſuum defectui.
Genitori, Genitoque
Laus & iubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit & benedictio:
Procedenti ab vtroque
Compar ſit laudatio. Amen.

℣. Panem de cœlo preſtitiſti eis, Alleluia.

℟. Omnem delectamentum in ſe habentem, Alleluia.

Ex declaratione S. R. C. ponitur Alleluia ſicut in feſto Corporis Chriſti, excepto tempore à Septuageſima vſque ad Paſcha.

Ad Magnificat, Antiphona.

O quàm ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus, qui vt dulcedinẽ tuam in filios demonſtrares, pane ſuauiſſimo de cælo præſtito eſurientes reples bonis, faſtidioſos diuites dimittens inanes.

Oratio.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili, paſſionis tuæ memoriã reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari; vt redemptionis tuæ fructũ in nobis iugiter ſentiamus. Qui viuis & regnas cum Deo Patre, &c.

Ad Completoriũ, & per Horas, in fine Hymnorum dicitur,

Ieſu, tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine.

Ad Matutinum Inuitatoriũ.

Chriſtum Regẽ adoremus dominantem Gentibus: * Qui ſe manducãtibus dat ſpiritus pinguedinem. Pſalmus. Venite exultemus.

Hymnus.

SAcris ſolemnijs iuncta ſint gaudia,
Et ex præcordijs ſonent præconia;
Recedant vetera, noua ſint omnia,
Corda, voces, & opera.
Noctis recolitur cœna nouiſſima,
Qua Chriſtus creditur agnum, & azyma
Dediſſe fratribus, iuxta legitima
Priſcis indulta patribus.
Poſt agnum typicum, expletis epulis,

Cor-

Corpus Dominicum datum diſcipulis,
Sic totum omnibus, quod totum ſingulis,
Eius fatemur manibus.
D edit fragilibus corporis ferculum,
Dedit & triſtibus ſanguinis poculum,
Dicens, Accipite quod trado vaſculum,
Omnes ex eo bibite.
S ic ſacrificium iſtud inſtituit.
Cuius officium committi voluit
Solis Presbyteris, quibus ſic cõgruit,
Vt ſumant, & dent cæteris.
P anis Angelicus fit panis hominum;
Dat panis cœlicus figuris terminum:
O res mirabilis, manducat Dominum
Pauper, ſeruus, & humilis.
T e trina Deitas vnaque poſcimus,
Sic nos tu viſita, ſicut te colimus:
Per tuas ſemitas duc nos quò tendimus,
Ad lucẽ quam inhabitas. Amen.

In primo Nocturno, Antiph. Fructum ſalutiferum.

Pſalmus 1.

B Eatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, * & in cathedra peſtilentiæ non ſedit:
S ed in lege Domini voluntas eius, * & in lege eius meditabitur die ac nocte.
E t erit tamquam lignũ, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, * quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo:
E t folium eius non defluet: * & omnia quæcumque faciet, proſperabuntur.
N on ſic impij, non ſic: * ſed tãquam puluis, quem proijcit vẽtus à facie terræ.
I deò nõ reſurgent impij in iudicio: * neque peccatores in concilio iuſtorum.
Q uoniam nouit Dominus viã iuſtorum: * & iter impiorum peribit.

Antiph. Fructum ſalutiferum guſtandũ dedit Dominus mortis ſuæ tempore.

Antiphona. A fructu.

Pſalmus 4.

C Vm inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ: * in tribulatione dilataſti mihi.
M iſerere mei, * & exaudi orationem meam.
F ilij hominum vſquequò graui corde? * vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?
E t ſcitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum: * Dominus exaudiet me, cùm clamauero ad eum.
I raſcimini, & nolite peccare: * quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.
S acrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino. * Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: * dediſti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & olei ſui: * multiplicati ſunt.

In pace in idipſum * dormiã, & requieſcam.

Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe * conſtituiſti me.

Antiph. A fructu frumenti & vini multiplicati fideles in pace Chriſti requieſcunt.

Antiph. Communione calicis.

Pſalmus 15.

Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te. * Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui ſunt in terra eius, * mirificauit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: * poſtea accelerauerunt.

Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hęreditatis meę, & calicis mei: * tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris: * etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: * inſuper & vſque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Prouidebam Dominum in cõſpectu meo ſemper: * quoniam à dextris eſt mihi, ne cõmouear.

Propter hoc lætatum eſt cor meũ, & exultauit lingua mea: * inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

Quoniam nõ derelinques animam meã in inferno: * nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: * delectationes in dextera tua vſque in finem.

Antiph. Communione calicis, quo Deus ipſe ſumitur, non vitulorum ſanguine congregauit nos Dominus.

℣. Panem cæli dedit eis, Allel.

℟. Panem Angelorum manducauit homo, Allel. Pater noſter.

Abſolutio.

Exaudi Domine.

Bened. Benedictione perpetua.

Lectiones primi Nocturni leguntur de Scriptura occurrẽte.

℟. i Immolabit hœdum multitudo filiorum Iſrael ad veſperã Paſchæ: * Et edent carnes, & azymos panes.

℣. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis. Et edent. Benedictio. Vnigenitus Dei Filius.

℟. ij. Comedetis carnes, & ſaturabimini panibus: * Iſte eſt panis, quem dedit vobis Dominus ad veſcendum. ℣. Non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Iſte eſt panis.

Benedictio Spiritus ſãcti gratia.

℟. iij. Reſpexit Elias ad caput ſuum ſubcinericium panẽ: qui ſurgens comedit & bibit: * Et ambulauit in fortitudine cibi illius

illius vſque ad montem Dei.

℣ Si quis mãducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et ambulauit. Gloria. Et ambulauit.

In ſecundo Nocturno.

Antiphona Memor ſit Dominus.

Pſalm. 19.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis: * protegat te nomen Dei Iacob.

Mittat tibi auxilium de ſancto: * & de Sion tueatur te.

Memor ſit omnis ſacrificij tui: & holocauſtum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi ſecundum cor tuum: * & omne conſilium tuum confirmet.

Lætabimur in ſalutari tuo:* & in nomine Dei noſtri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: * nunc cognoui quoniam ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum.

Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo:*in potentatibus ſalus dexteræ eius.

Hi in curribus,& hi in equis:* nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.

Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: * nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.

Domine ſaluum fac regem: * & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.

Antiph. Memor ſit Dominus ſacrificij noſtri, & holocauſtum noſtrum pingue fiat.

Antiph. Paratur nobis.

Pſalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: * in loco paſcuæ ibi me collocauit.

Super aquam refectionis educauit me:*animam meam conuertit.

Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ:* propter nomen ſuum.

Nam, & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis,non timebo mala:* quoniam tu mecum es.

Virga tua, & baculus tuus,* ipſa me conſolata ſunt.

Paraſti in conſpectu meo menſam, * aduerſus eos qui tribulant me.

Impinguaſti in oleo caput meũ *& calix meus inebrians quàm præclarus eſt!

Et miſericordia tua ſubſequetur me * omnibus diebus vitæ meæ.

Et vt inhabitem in domo Dñi, * in longitudinem dierum.

Antiph. Paratur nobis menſa Domini aduerſus omnes qui tribulant nos.

Aña. In voce exultationis.

Pſalmus 41.

QVemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: * ita deſiderat anima mea ad te Deus,

Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum:*quando veniã, & apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: * dum dicitur mihi quotidie:Vbi eſt Deus tuus?

Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: * quoniam

niam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei;

In voce exultationis, & confeſſionis: * ſonus epulantis.

Quare triſtis es anima mea: * & quare conturbas me?

Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: * ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Ad meipſum anima mea conturbata eſt:* propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonijm à monte modico.

Abyſſus abyſſum inuocat, * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelſa tua, & fluctus tui * ſuper me tranſierunt.

In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, * & nocte canticum eius.

Apud me oratio Deo vitæ meæ, * dicam Deo: ſuſceptor meus es.

Quare oblitus es mei? * & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringũtur oſſa mea,* exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per ſingulos dies: Vbi eſt Deus tuus? * quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Antiph. In voce exultationis reſonent epulantes in menſa Domini. ℣. Cibauit illos ex adipe frumenti, Alleluia.

℟. Et de petra, melle ſaturauit eos, Alleluia. Pater noſter.

Abſolutio. Ipſius pietas.

Benedictio. Deus Pater omnipotens.

Sequentes Lectiones in ſecundo Nocturno; ſicuti, & in tertio dicuntur.

Menſib. Ianuarij, & Februarij.

Sermo S. Thomæ Aquinatis. in Opuſculo 57.

Lectio iv.

IMmenſa diuinę largitatis beneficia, exhibita populo Chriſtiano, inæſtimabilem ei conferunt dignitatem: Neque enim eſt, aut fuit aliquando tàm grandis natio, quæ habeat deos appropinquãtes ſibi, ſicut adeſt nobis Deus noſter. Vnigenitus ſiquidem Dei Filius, ſuæ diuinitatis volens nos eſſe participes, naturam noſtram aſſumpſit, vt homines Deos faceret, factus homo. Et hoc inſuper, quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis cõtulit ad ſalutem: Corpus namque ſuum pro noſtra reconciliatione in ara crucis hoſtiam obtulit Deo Patri: ſanguinem ſuum fudit in pretium ſimul & lauacrum: vt redempti à miſerabili ſeruitute, à peccatis omnibus mũdaremur. Vt autem tanti beneficij iugis in nobis maneret memoria, corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum ſub ſpecie panis & vini ſumendum, fidelibus dereliquit.

℟. Cœnantibus illis accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: * Accipite, & comedite; hoc eſt corpus meum.

 ℣. Di-

℣. Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius, vt ſaturemur? Accipite.

Benedictio. Chriſtus perpetuæ.

Lectio v.

O Pretioſum, & admirandum conuiuium, ſalutiferum, & omni ſuauitate repletum! Quid enim hoc conuiuio pretioſus eſſe poteſt, in quo non carnes vitulorum, & hircorum, vt olim in lege, ſed nobis Chriſtus ſumendus proponitur verus Deus. Quid hoc Sacramento mirabilius? In ipſo namque panis & vinum in Chriſti corpus & ſanguinem ſubſtantialiter conuertuntur: ideoque Chriſtus Deus, & homo perfectus ſub modici panis & vini ſpecie continetur. Manducatur itaque à fidelibus, ſed minimè laceratur: quinimmò, diuiſo Sacramento, ſub qualibet diuiſionis particula integer perſeuerat. Accidentia autem ſine ſubiecto in eodem ſubſiſtunt, vt fides locum habeat, dum viſibile inuiſibiliter ſumitur aliena ſpecie occultatum: & ſenſus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus iudicant ſibi notis.

℟. Accepit Ieſus calicem, poſtquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine: * Hoc facite in meam commemorationem.

℣. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Hoc facite.

Benedictio. Ignem ſui amoris.

Lectio vi.

NVllum etiam Sacramentũ eſt iſto ſalubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium ſpiritualium chariſmatum abundantia impinguatur. Offertur in Eccleſia pro viuis, & mortuis: vt omnibus proſit, quod eſt pro ſalute omnium inſtitutum. Suauitatem denique huius Sacramenti nullus exprimere ſufficit, per quod ſpiritualis dulcedo in ſuo fonte guſtatur: & recolitur memoria illius, quã in ſua paſſione Chriſtus monſtrauit, excellentiſſimæ charitatis. Vnde vt arctius huius charitatis immenſitas fidelium cordibus infigeretur, in vltima cœna, quando Paſcha cum diſcipulis celebrato, tranſiturus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum inſtituit, tanquam paſſionis ſuæ memoriale perenne, figurarum veterum impletiuum, miraculorũ ab ipſo factorum maximum; & de ſua contriſtatis abſentia ſolatium ſingulare reliquit.

℟. Ego ſum panis vitæ: patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt: * Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.

℣. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Hic eſt panis. Gloria Patri. Hic eſt panis.

IN III. NOCTVRNO.

Antiphona. Introibo.

Pſalmus 42.

IVdica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta, * ab homine iniquo & doloſo erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea: * quare me repuliſti? & quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: * ipſa me deduxerũt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: * ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam.

Cõfitebor tibi in cithara Deus Deus meus: * quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Antiph. Introibo ad altare Dei ſumam Chriſtum, qui renouat iuuentutem meam.

Antiphona. Cibauit nos.

Pſalmus 80.

EXultate Deo adiutori noſtro: * iubilate Deo Iacob.

Sumite pſalmum, & date tympanum: * pſalterium iucundum cum cithara.

Buccinate in Neomenia tuba, * in inſigni die ſolemnitatis veſtræ:

Quia præceptum in Iſrael eſt: * & iudicium Deo Iacob.

Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud, cum exiret de terra Ægypti: * linguam quam non nouerat, audiuit.

Diuertit ab oneribus dorſum eius: * manus eius in cophino ſeruierunt.

In tribulatione inuocaſti me, & liberaui te: * exaudiui te in abſcondito tempeſtatis: probaui te apud aquam contradictionis.

Audi populus meus, & conteſtabor te: * Iſrael ſi audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis deum alienum.

Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: * dilata os tuum, & implebo illud.

Et non audiuit populus meus vocem meam: * & Iſrael non intendit mihi.

Et dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum: * ibunt in adinuentionibus ſuis.

Si populus meus audiſſet me: * Iſrael ſi in vijs meis ambulaſſet:

Pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem: * & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.

Inimici Domini mentiti ſunt ei: * & erit tempus eorum in ſæcula.

Et cibauit eos ex adipe frumẽti: * & de petra, melle ſaturauit eos.

Antiphona. Cibauit nos Dominus ex adipe frumenti: & de petra, melle ſaturauit nos.

Antiph. Ex altari tuo Domine.

Pſalmus 83.

QVàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! * concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, & caro mea* exultauerunt in Deum viuum.
Etenim paſſer inuenit ſibi domum: * & turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos.
Altaria tua Domine virtutũ: * Rex meus, & Deus meus.
Beati qui habitãt in domo tua Domine:* in ſæcula ſæculorum laudabunt te.
Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te: * aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.
Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutẽ: * videbitur Deus deorum in Sion.
Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: * auribus percipe Deus Iacob.
Protector noſter aſpice Deus:* & reſpice in faciem Chriſti tui.
Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis * ſuper millia.
Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei: * magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.
Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus: * gratiam & gloriam dabit Dominus.
Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.
Antiphona. Ex altari tuo Domine, Chriſtum ſumimus: in quem cor, & caro noſtra exultant. ℣. Educas panem de terra, Alleluia.
℟. Et vinum lætificet cor hominis, Alleluia. Pater noſt.
Abſolutio. A vinculis.
Benedictio. Euangelica lectio.
Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem. *Cap.* 6.

Lectio vij.

In illo tempore: Dixit Ieſus turbis Iudęorum: Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus, verè eſt potus. Et reliqua.
Homil. S. Auguſtini Epiſcopi.

Tractat. 26. in Ioannem ſub finem.

Cum cibo & potu id appetant homines, vt neque eſuriant, neque ſitiant: hoc veraciter non præſtat, niſi iſte cibus & potus, qui eos, à quibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit: id eſt, ſocietas ipſa ſanctorum; vbi pax erit, & vnitas plena, atque perfecta. Proptereà quippe, ſicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum in eis rebus commendauit quę ad vnum aliquid rediguntur ex multis. Namq; aliud in vnum ex multis granis conficitur: aliud in vnum ex multis acinis confluit. Deniq; iam exponit quomodo id fiat, quod loquitur: & quid ſit manducare corpus eius, & ſanguinem bibere.
℟. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinẽ * In me manet, & ego in eo.
℣. Non eſt alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. In me manet.
Benedictio. Diuinum auxilium

Le-

Lectio viii.

QVi mãducat carnem meã, & bibit meum ſanguinẽ, in me manet, & ego in illo. Hoc eſt ergo manducare illã eſcam, & illum bibere potum; in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc, qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec mãducat ſpiritalitèr carnem eius, nec bibit eius ſanguinem, licet carnalitèr, & viſibiliter premat dentibus ſacramẽtum corporis & ſanguinis Chriſti: ſed magis tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſibi manducat & bibit, quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere ſacramenta, quæ aliquis non dignè ſumit, niſi qui mundus eſt; de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. ℟. Miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: * Et qui manducat me, viuet propter me. ℣. Cibauit illum Dominus pane vitæ & intellectus. Et qui manducat. Gloria Patri. Et qui manducat.

Benedictio. Ad ſocietatem.

Lectio ix.

SIcut, inquit, miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Ac ſi diceret: Vt ego viuam propter Patrem, id eſt, ad illum tamquam ad maiorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me miſit. Vt autem quiſquã viuat propter me, participatio facit, qua manducat me. Ego itaque humiliatus viuo propter Patrem: ille erectus viuit propter me. Si autem ita dictum eſt, Viuo propter Patrem, quia ipſe de illo, non ille de ipſo eſt: ſine detrimento æqualitatis dictum eſt. Nec tamen dicendo; Et qui manducat me, & ipſe viuet propter me; eamdem ſuam, & noſtram æqualitatem ſignificauit, ſed gratiam mediatoris oſtendit.

Te Deum laudamus.

AD LAVDES

& per Horas, Antiphona.

SApientia ædificauit ſibi domum, miſcuit vinum, & poſuit menſam, Alleluia.

Pſalm. Dominus regnauit. cũ reliquis. Antiph. Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & panem de cœlo præſtitiſti eis, Alleluia.

Antiph. Pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias regibus, Alleluia.

Antiph. Sacerdotes ſancti incenſum & panes offerunt Deo, Alleluia.

Antiph. Vincenti dabo manna abſconditum, & nomen nouum, Alleluia.

Capitulum. Cor. 1. 11. c

FRatres, Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur:

tur: hoc facite in meam commemorationem.

Hymnus.

VErbum ſupernũ prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus ſuum exiens,
Venit ad vitæ veſperam.
In mortem à diſcipulo
Suis tradendus æmulis,
Prius in vitæ ferculo
Se tradidit diſcipulis.
Quibus ſub bina ſpecie
Carnem dedit & ſanguinem
Vt duplicis ſubſtantiæ
Totum cibaret hominem.
Se naſcens dedit ſocium,
Conueſcens in edulium,
Se moriens in pretium.
Se regnans dat in præmium.
O ſalutaris Hoſtia,
Quæ cœli pandis oſtium:
Bella præmunt hoſtilia,
Da robur, fer auxilium.
Vni, trinoque Domino
Sit ſempiterna gloria:
Qui vitam ſine termino
Nobis donet in patria.
Amen.

℣. Poſuit fines tuos pacem, Alleluia.

℟. Et adipe frumenti ſatiat te, Alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi; ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, Alleluia

Oratio.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili, paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue, quæſumus, ita nos Corporis & Sãguinis tui ſacra myſteria venerari; vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre.

Ad Primam ℟. breu. Chriſte Fili Dei viui miſerere nobis.

℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam, Antiphona.

Angelorum eſca.

Capitulum. Fratres, Ego enim accepi.

℟. Panem cœli Dedit eis, * Alleluia, Alleluia. Panem.

℣. Panem Angelorum manducauit homo. Alleluia, Alleluia. Gloria Patri, &c. Panem cœli.

℣. Cibauit illos ex adipe frumenti, Alleluia.

℟. Et de petra, melle ſaturauit eos, Alleluia.

Ad Sextam, Antiphona.

Pinguis eſt.

Capitulum. 1. Cor. 11. f.

QVotieſcumq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

℟. Cibauit illos. Ex adipe frumenti, * Allel. Allel. Cibauit. Et de petra, melle ſaturauit eos. Alleluia, Alleluia. Gloria Patri. Cibauit.

℣. Educas panẽ de terra, Allel.

℟. Et vinum lætificet cor hominis, Alleluia.

Ad Nonam, Antiphona.

Vincenti.

Capitulum. 1. Cor. 11. f

QVicumque manducauerit panem hunc, vel biberit cali-

calicem Domini indignè: reus erit corporis & ſanguinis Domini.

℟. Educas panem, de terra, * Alleluia, allel. Educas.

℣. Et vinum lætificet cor hominis, Alleluia, alleluia.

Gloria Patri. Educas.

℣. Poſuit fines tuos pacem, Alleluia.

℟. Et adipe frumenti ſatiat te, Alleluia.

In ſecundis Veſperis omnia dicuntur ſicut in primis Veſperis.

℣. Panem de cœlo præſtitiſti eis, Alleluia.

℟. Omne delectamentum in ſe habentem, Alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur: recolitur memoria paſſionis eius: mens impletur gratia: & futuræ gloriæ nobis pignus datur, Allel.

Oratio. Deus, qui nobis ſub Sacramento, vt ſupra.

Tempore Paſchali, in fine Inuitatorij, & Antiphonarum, dicitur Alleluia, & tres Pſalmi dicuntur in quolibet Nocturno ſub prima Antiph. illius Nocturni, vt fit in omnibus Feſtis, quę celebrantur Tempore Paſchali.

PRO MENSIBVS MARTII, ET APRILIS.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Io. Chryſoſtomi.

Homil. 61. ad pop. Antiochen.

Lectio iiii.

NEceſſarium eſt, dilectiſſimi, myſteriorum diſcere miraculum, quodnam ſit, & quare ſit datum, & quæ eius rei vtilitas. Vnum corpus efficimur: membra, inquit, ex carne eius, & ex oſſibus eius: ſequamur autem initiati, quæ dicuntur. Vt itaque nō tantùm per charitatem hoc fiamus, verùm etiam ipſa re, in illam miſceamur carnem: hoc namque per eſcam efficitur, quam largitus eſt nobis, volens oſtēdere deſiderium, quod erga nos habet. Proptereà ſemetipſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperauit, vt vnum quid ſimus tamquam corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc eſt.

℟. Cœnantibus illis

Lectio v.

TAmquā leones igitur ignē ſpirantes ab illa menſa recedamus, facti diabolo terribiles, & caput noſtrum mente reuoluentes, & charitatem, quam erga nos oſtendit. Nam parentes quidem, alijs ſæpè filios tradunt alendos: ego autem, inquit, non ita, ſed carnibus meis alo, & meipſum vobis appono, vos omnes generoſos eſſe volens, & ſpem bonam de futuris vobis præbens; quippè qui vobis hic me ipſum tradidi: multò magis id in futuro faciam. Volui frater veſter fieri, carnē propter vos, & ſanguinē communicaui: vobis viciſſim ipſam carnem & ſanguinem, per quæ cognatus veſter factus ſum, trado.

℟. Accepit Ieſus calicem.

Lectio vj.

ATtendamus itaque nobis ipſis, dilectiſſimi, talibus fruentes bonis: & cum aliquid in turpe dicere voluerimus, vel nos ab ira corripi viderimus, vel alio quopiam huiuſmodi vitio, conſideremus quibus facti ſumus digni: taliſque cogitatio nobis irrationabilium motuum ſit correctio. Quotquot igitur huius participes corporis efficimur, quotquot ſanguinē deguſtamus; cogitemus, quòd illum ſurſum ſedentem, qui ab Angelis adoratur incorruptibili vicinus virtuti, hunc deguſtamus. Hei mihi, quot ad ſalutem nobis viæ! Nos corpus ſuum effecit, nobis ſuum communicauit corpus: & horum nos nihil à malis auertit.

℟. Ego ſum panis vitæ.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

Lectio vij. *Cap.6.f.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis Iudæorum: Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus. Et reliqua.

De Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract.27.in Ioann.ante medium.

DIximus, fratres, hoc Dominum commendaſſe in mãducatione carnis ſuæ, & potatione ſanguinis ſui, vt in illo maneamus, & ipſe in nobis. Manemus autem in illo, cùm ſumus membra eius; manet autem ipſe in nobis, cùm ſumus templum eius. Vt autem ſimus membra eius, vnitas nos compaginat: vt compaginet vnitas, quid facit, niſi charitas? Et charitas Dei vnde? Apoſtolum interroga: Charitas, inquit, Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

℟. Qui manducat meam carnem.

Lectio viij.

ERgo ſpiritus eſt, qui viuificat: ſpiritus enim facit viua membra: nec viua membra ſpiritus facit, niſi quæ in corpore, quod vegetat ipſe ſpiritus, inuenerit. Nam ſpiritus, qui eſt in te, ô homo, quo conſtas, vt homo ſis, nunquid viuificat membrum, quod ſeparatum inuenerit à carne mea? Spiritum tuum dico animam tuam. Anima tua non viuificat, niſi membra, quæ ſunt in carne tua: vnum ſi tollas, iam non viuificatur ex anima tua, quia vnitati corporis tui non copulatur.

℟. Miſit me viuens Pater.

Lectio ix.

HAec dicuntur, vt amemus vnitatem, & timeamus ſeparationem. Nihil enim ſic debet formidare Chriſtianus, quam ſeparari à corpore Chriſti. Si enim ſeparatur à corpore Chriſti, nō eſt membrum eius: ſi non eſt membrum eius, non vegetatur Spiritu eius. Quiſquis autem, inquit Apoſtolus, Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius: Spiritus ergo eſt, qui viuificat, caro autem non prodeſt

deſt quidquam. Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt. Quid eſt, Spiritus & vita ſunt? Spiritaliter intelligenda ſunt. Intellexiſti ſpiritaliter? Spiritus, & vita ſunt. Intellexiſti carnaliter? etiam ſic illa ſpiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt.

MENSIB. MAII, ET IVNII.

In ſecundo Noct.

De Serm.S. Io: Chryſoſtomi. *Ex ead.Homil.*60. Lectio iiij.

VNicuique fidelium Chriſtus ſemetipſum per myſteria commiſcet, & quos genuit, per ſemetipſum enutrit, nec alteri tradit: per hoc tibi rurſum perſuadens, quod carnem tuam aſſumpſit. Ne torpeamus igitur tanta digni charitate, & honore putati. Nonnè videtis quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quāto impetu labia yberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc menſam, & ad vbera poculi ſpiritalis: quinimmò cum longè maiori trahamus, tamquam infantes lactentes, ſpiritus gratiam; & vnus ſit nobis dolor hac eſca priuari. Non ſunt humanæ virtutis opera, hæc quæ proponuntur: qui tunc ipſa fecit in illa cœna, idem ea nunc quoque facit. Nos miniſtrorum tenemus locum; qui verò ſanctificat ea, & immutat, ipſe eſt. Nullus itaque Iudas aſſiſtat, nullus auarus: nam tales menſa non ſuſcipit. Si quis eſt diſcipulus adſit: ait enim: Cum diſcipulis meis facio Paſcha. Hæc eſt illa menſa, & minus nihil habet. Non enim illam quidem Chriſtus, hanc autem homo perficit: verùm & hanc ipſe quoque.

℟. Cœnantibus illis.

Lectio v.

INhumanus accedat nemo, nemo crudelis, & immiſericors, nemo prorſus immundus. Hæc ad communicantes dico, & ad vos miniſtrantes. Nam & ad vos ſermonem conuertere neceſſarium eſt, vt multò cum ſtudio hæc dona diſtribuatis. Non parua vobis imminet vltio, ſi quemquam, illius culpæ conſcij, huius menſæ participem eſſe concedatis: ſanguis eius de manibus veſtris exquiretur: ſiue quis dux militiæ ſit; ſiue præfectus, ſiue princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe; maiorem illo poteſtatem habes. Propterea vos Deus hoc inſigniuit honore, vt talia diſcernatis. Hoc veſtra dignitas eſt, hoc ſecuritas, hoc omnis corona: non vt albam, & ſplendentem tunicam circumeatis induti. Verùm & tu laice, cùm ſacerdotem videris offerentem, ne vt ſacerdotem eſſe putes hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam.

℟. Accepit Ieſus calicem.

Lectio vj.

AVdiamus igitur & ſacerdotes, & ſubditi, quali eſca facti ſumus digni: audiamus &

horreamus? Sanctis carnibus ſuis nos dedit impleri, ſemetipſum appoſuit immolatũ. Quænam igitur erit nobis excuſatio, cum talibus paſti talia peccemus, cùm lupi fiamus Agnum comedentes, cùm tamquàm oues paſti more leonum diripiamus? Hoc enim myſterium non à rapina tantùm, verùm & ab omni, vel tenui inimicitia purum eſſe penitùs iubet: eſt enim pacis myſterium. Iudæis quidem annuatim propriorum monumenta beneficiorum ſolemnitates Deus alligauit: tibi verò ſingulis diebus per hæc myſteria. Nullus itaque Iudas hanc menſam petat, nullus Simon. Hi namque duo propter auaritiam perierunt: hoc igitur barathrum fugiamus.

℟. Ego ſum panis vitæ.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

Lectio vij. *Cap. 7. f.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis Iudæorum: Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus. Et reliqua.

De Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Cap. 26. in Ioannem poſt med.

HIc eſt panis, qui de cœlo deſcendit. Hunc panem ſignificauit manna, hunc panẽ ſignificauit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt: in ſignis diuerſa ſunt, ſed in re, quæ ſignificatur, paria ſunt. Apoſtolum audi: Nolo enim vos, inquit, ignorare fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes per Moyſen baptizati ſunt in nube, & in mari: & omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducauerunt. Spiritalem vtique eamdem: nam corporalem alteram; quia illi mãna, nos aliud: ſpiritalem verò, quam nos, ſed patres noſtri, non patres illorũ; quibus nos ſimiles ſumus, non quibus illi ſimiles fuerunt. Et adiungit: Et omnes eumdem potũ ſpiritalem biberunt. Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili quidem, tamen hoc idem ſignificante virtute ſpiritali. Quomodo enim eumdem potum? Bibebant, inquit, de ſpiritali, ſequente petra: petra autem erat Chriſtus. Inde panis, inde potus. Petra Chriſtus in ſigno, verus Chriſtus in verbo, & in carne. Et quomodo biberunt? Percuſſa eſt petra de virga bis. Gemina percuſſio, duo ligna Crucis ſignificat.

℟. Qui manducat meam carnẽ.

Lectio viij.

NOrũt fideles corpus Chriſti, ſi corpus Chriſti non negligant eſſe. Fiant corpus Chriſti, ſi volunt viuere de Spiritu Chriſti. De Spiritu Chriſti non viuit, niſi corpus Chriſti. Intelligite fratres mei, quid dixerim. Homo es, & ſpiritum habes, & corpus habes. Spiritum dico, quæ anima vocatur, qua conſtas quod homo es, conſtas enim ex anima, & corpore. Habes enim ſpiritum inuiſibilem, corpus viſibile. Dic mihi, quid

ex

ex quo viuat? Spiritus tuus viuit ex corpore tuo, an corpus tuum ex ſpiritu tuo? Reſpondet omnis, qui viuit: qui autem hoc non poteſt reſpondere, neſcio ſi viuit. Quid reſpōdet omnis qui viuit? Corpus vtique meum viuit de ſpiritu meo. Vis ergo & tu viuere de Spiritu Chriſti? In corpore eſto Chriſti. ℟. Miſit me viuens Pater.

Lectio ix.

Nvmquid enim corpus meū viuit de ſpiritu tuo? Meū viuit de ſpiritu meo, & tuum de ſpiritu tuo. Non pteſt viuere corpus Chriſti, niſi de Spiritu Chriſti. Inde eſt, quòd exponens nobis Apoſtolus Paulus hunc panem: Vnus panis, inquit, vnū corpus multi ſumus. O ſacramentum pietatis, ò ſignum vnitatis, ò vinculum charitatis! Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat. Accedat, credat, incorporetur, vt viuificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non ſit putre membrum, quod reſecari mereatur, non ſit diſtortū, de quo erubeſcatur. Sit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum: hæreat corpori, viuat Deo de Deo. Nunc laboret in terra, vt poſtea regnet in cœlo. Te Deum.

MENSIBVS IVLII, ET AVGVSTI.

In ſecundo Noct.

Ex Epiſt. S. Cypr. Epiſcopi, & Martyris ad Cęcil.

Lib. 2. epiſt. 3 ſub init.

Lectio iiij.

IN Sacerdote Melchiſedech ſacrificij Dominici ſacramētum præfiguratum videmus, ſecundum quod Scriptura diuina teſtatur, & dicit: Et Melchiſedech rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem ſacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham. Quòd autē Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis Spiritus ſanctus, ex perſona Patris ad Filium dicens: Ante luciferum genui te: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinē Melchiſedech. Qui ordo vtique hic eſt de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quod Melchiſedech Dei ſacerdos sūmi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. ℟. Cœnantibus illis.

Lectio v.

NAm quis magis ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus? qui ſacrificium Deo Patri obtulit: & obtulit hoc ídem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem. Et circa Abraham benedictio illa præcedens, ad noſtrum populum pertinebat. Nam ſi Abraham Deo credidit, & deputatum eſt ei ad iuſtitiam: vtique quiſquis Deo credit, & fide viuit, iuſtus inuenitur, & iampridem in Abraham fideli benedictus, & iuſtificatus oſtenditur, ſicut beatus Apoſtolus Paulus probat, dicens: Credidit Abrahā Deo, & de-

& deputatum eſt ei ad iuſtitiã. Cognoſcitis ergo, quia qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ. Prouidens autem Scriptura, quia ex fide iuſtificat gentes Deus, prænunciauit Abrahæ, quia benedicentur in illo omnes Gentes.

℟. Accepit Ieſus calicem.

Lectio vj.

VT ergo in Geneſi per Melchiſedech ſacerdotem benedictio circa Abraham poſſet ritè celebrari, præcedit ante imago ſacrificij, in pane, & vino ſcilicet conſtituta. Quamrẽ perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit: & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Sed & per Salomonem Spiritus ſanctus typum Dominici ſacrificij ante præmonſtrat, immolatæ hoſtiæ, & panis & vini, ſed & altaris, & Apoſtolorum faciens mentionem: Sapientia, inquit, ædificauit ſibi domum, & ſubdidit columnas ſeptem: mactauit ſuas hoſtias, miſcuit in cratere vinum ſuum, & parauit menſam ſuam. Et miſit ſeruos ſuos conuocans cum excelſa prædicatione ad craterem, dicens: Qui eſt inſipiens, declinet ad me. Et egentibus ſenſu dixit: Venite, edite de meis panibus, & bibite vinum, quod miſcui vobis.

℟. Ego ſum panis vitæ.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis Iudæorum: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus, vere eſt potus. Et reliqua.

De Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 26. in Ioannem circa medium.

NOn ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Quare manducauerunt, & mortui ſunt? Quia quod videbant, credebant: quod non videbant, non intelligebant. Ideò patres veſtri, quia ſimiles eſtis illorũ. Nam quantum pertinet, fratres mei, ad mortem iſtam viſibilem, & corporalem, numquid nos nõ morimur, qui mãducamus panem de cęlo deſcendentem? Sic ſunt mortui & illi quemadmodum & nos ſumus morituri: quantùm attinet, vt dixi, ad mortem huius corporis viſibilem, atque carnalem.

℟. Qui manducat meam carnem.

Lectio viij.

QVantum autem pertinet ad illam mortem, de qua terret Dominus, qua mortui ſunt patres iſtorum: manducauit manna & Moyſes, manducauit manna & Aaron, manducauit manna & Phinees, manducauerunt ibi multi, qui Domino placuerunt, & mortui nõ ſunt. Quare? Quia viſibilem cibum ſpiritaliter intellexerunt, ſpiritaliter eſurierunt, ſpiritaliter guſtauerunt, vt ſpiritaliter ſatiarentur. Nam & nos hodie acci-

accipimus viſibilem cibum ſed aliud eſt ſacramentum, aliud virtus ſacramenti.

℞. Miſit me viuens Pater,

Lectio ix.

QVàm multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur. Vnde dicit Apoſtolus: Iudicium ſibi manducat,& bibit. Nonnè buccella Dominica venenum fuit Iudæ? Et tamen accepit. Et cúm accepit, in eum inimicus intrauit: non quia malum accepit, ſed quia bonũ malè malus accepit. Videte ergo fratres, panem cæleſtem ſpiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata, etſi ſunt quotidiana, vel non ſint mortifera. Antequam ad altare accedatis, attendite quod dicatis: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitóribus noſtris. Si dimittis, dimittetur tibi: ſecurus accede, panis eſt, non venenum.

Te Deum.

MENSIBVS SEPTEMBRIS, ET OCTOBRIS.

In ſecundo Noct.

Ex libro S. Ambroſij Epiſcopi de Sacramentis.

Lib.4.cap.4. Lectio iiii.

AVctor Sacramentorũ quis eſt, niſi Dominus Ieſus? De cœlo iſtà ſacramenta venerunt. Conſilium enim omne de cœlo eſt. Verè autem magnum eſt & diuinum miraculum, quòd populo pluit Deus manna de cœlo: & non laborabat populus, & manducabat. Tu fortè dicis: Meus panis eſt vſitatus. Sed panis iſte, panis eſt ante verba ſacramentorum: vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur aſtruamus. Quomodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione, Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur, laudem Deo deferunt, oratio præmittitur, pro populo, pro regibus, pro cæteris: vbi venitur, vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non ſuis ſermonibus ſacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti.

℞. Cœnantibus illis.

Lectio v.

ERgo ſermo Chriſti hoc cõficit Sacramentum. Quis ſermo Chriſti? Nempè is, quo facta ſunt omnia. Iuſſit Dominus, & factum eſt cœlum: iuſſit Dominus, & facta eſt terra: iuſſit Dominus, & facta ſunt maria: iuſsit Dominus, & omnis creatura generata eſt. Vides ergo quàm operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant: quãtò magis operatorius eſt, vt quę erant, in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare nõ erat, terra non erat. Sed audi dicentem: Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Ergo tibi vt reſpondeam, non erat corpus Chriſti ante conſecrationem; ſed poſt conſecrationem

nem

nem: dico tibi, quòd iam cor-pus eſt Christi. Ipſe dixit, & factum eſt: ipſe mandauit, & creatum eſt:

℟. Accepit Ieſus calicem.

Lectio vj. *Cap.5.*

IAm redi mecum ad propoſitionem meam. Magnum & venerabile, quod manna Iudæis pluit è cœlo. Sed intellige quid eſt amplius, manna de cœlo, an corpus Chriſti? Corpus Chriſti vtique, qui auctor eſt cœli. Deinde, manna qui manducauit, mortuus eſt: qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remiſſio peccatorum, & non morietur in æternum. Ergo nō otioſè, cum accipis: tu dicis, Amen; iam in ſpiritu confitens quòd accipias Corpus Chriſti. Dicit tibi ſacerdos, Corpus Chriſti: & tu dicis, Amen, hoc eſt verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.

℟. Ego ſum panis vitæ.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangeli ſecundùm Ioannem.

Lectio vij. *Cap.6.f.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis Iudæorum: Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus. Et reliqua.

Homilia ſancti Hilarij Epiſcopi *Lib.4. de Trinitate ante medium.*

NOn eſt humano, aut ſæculi ſenſu in Dei rebus loquendum. Quæ ſcripta ſunt, legamus: & quæ legerimus, intelligamus; & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Chriſti veritate, quæ dicimus, niſi ab eo diſcimus, ſtultè atque impiè dicimus. Ipſe enim ait: Caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus.

℟. Qui manducat meam carnem.

Lectio viij.

NUnc enim & ipſius Domini profeſsione, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt. Et hæc accepta, atque hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. An nè hoc veritas non eſt? Contingat planè his verum nō eſſe, qui Chriſtum Ieſum verū eſſe Deum negant. Eſt ergo in nobis ipſe per carnem, & ſumus in eo, dum ſecum hoc quod nos ſumus, in Deo eſt. Quòd autem in eo per ſacramentum communicatæ carnis & ſanguinis ſimus, ipſe teſtatur, dicens: Et hic mundus iam me non videt, vos autem me videbitis: quoniam ego viuo, & vos viuetis: quoniam ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

℟. Miſit me viuens Pater.

Lectio ix.

QVòd autem in nobis naturalis hæc vnitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt: Qui edit carnem meam: & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Non enim quis in eo erit, niſi

niſi in quo ipſe fuerit, eius tantùm in ſe aſſumptam habens carnem, qui ſuam ſumpſerit. Perfectæ autem huius vnitatis ſacramentum ſuperiùs iam docuerat, dicens: Sicut me miſit viuens Pater, & ego viuo per Patrem: & qui manducat meã carnem, & ipſe viuet per me. Viuit ergo per Patrem; & quomodo per Patrem viuit, eodem modo nos per carnem eius viuemus. Te Deum.

MENSE NOVEMB. vſque ad Aduentum.

In ſecundo Noct.

Sermo B. Cyrilli Epiſc. Hieroſolymitani.

Cathecheſi myſtagog.4. Lectio iiij.

IPſa beati Pauli doctrina abundè ſufficere videtur, vt certam vobis de diuinis myſterijs fidem faciat, quibus digni redditi, concorporei, vt ita dicam, & conſanguinei Chriſti facti eſtis. Ipſe enim modò clamabat, quòd in nocte qua tradebatur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, accipiens panẽ, gratias agens fregit, & dedit diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, & manducate: hoc eſt corpus meũ. Et accipiens calicem, & gratias agens, dixit: Accipite, & bibite: hic eſt ſanguis meus. Cũ igitur ipſe de pane pronunciauerit ac dixerit: Hoc eſt corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? Et cũ idem ipſe tam aſſeueranter dixerit: Hic eſt ſanguis meus: quis vnquam dubitauerit, vt dicat non eſſe eius ſanguinem?

℟. Cœnantibus illis.

Lectio v.

AQuam olim in vinum cõuertit in Cana Galilææ, quod habet quãdam cum ſanguine propinquitatem: & eum parum dignum exiſtimabimus, cui credamus quòd vinum in ſanguinem tranſmutarit? Ad eas nuptias, quibus corpora copulantur, vocatus, præter opinionem omnium hoc fecit miraculum: & non multò magis ſic eum corpus, & ſanguinem ſuum fruenda nobis donaſſe perſuaſum firmiter habebimus, vt ea cum omni certitudine tamquam corpus ipſum & ſanguinem ſumamus? Nam in ſpecie panis dat nobis corpus, & in ſpecie vini dat nobis ſanguinẽ, vt cum ſumpſeris, guſtes corpus & ſanguinem Chriſti, factus eiuſdem corporis & ſanguinis particeps. Sic enim efficimur Chriſtiferi, hoc eſt, Chriſtum in corporibus noſtris ferentes, cum corpus eius & ſanguinem in membra noſtra recipimus: ſic ſecundum beatum Petrum, diuinæ naturæ conſortes reddimur.

℟. Accepit Ieſus calicem.

Lectio vi.

OLim cum Iudæis Chriſtus diſſerens: Niſi manducaueritis, inquit, carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Cum autem illi, quæ dicta fuerant nõ ſpiritaliter accepiſſent, offenſi abierunt retrò: putabant enim, quòd eos ad manducandas

das carnes hortaretur. Erant & in veteri Teſtamētò panes propoſitionis: verùm illi cùm fuerint veteris Teſtamenti, finem iam acceperunt. In nouo verò Teſtamento, panis eſt cœleſtis, & calix ſalutaris, qui & animā & corpus ſanctificant. Quamobrem non ſic hæc attendas velim, tamquàm ſint nudus & ſimplex panis, nudum & ſimplex vinum: corpus enim ſunt & ſanguis Chriſti: Nam etiam ſi ſenſus illud tibi renunciat, fides tamen te confirmet. Ne iudices rem ex guſtu: ſed te citra vllam dubitationem fides certū reddat, quòd ſis dignus factus, qui corporis & ſanguinis Chriſti particeps fieres. ℟. Ego ſum panis vitæ.

In tertio nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

Lectio vij. *Cap.6.f.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis Iudæorum: Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Epiſcopi Alexandrini.

Lib.4. in Ioann. c.17.

QVi manducat, inquit, carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Sicuti enim ſi quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiſceat neceſſe eſt: ſic qui carnem & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita coniungitur, vt Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inueniatur. Simile quodam modo apud Matthæum comperies. Simile eſt, inquit, regnum cœlorum fermento, quod acceptum abſcondit mulier in farinæ ſatis tribus. Sicut paruum, vt Paulus ait, fermenti totam maſſam fermentat: ſic paruula benedictio totum hominem in ſeipſum attrahit, & ſua gratia replet: & hoc modo in nobis Chriſtus manet, & nos in Chriſto. ℟. Qui manducat meam carnem.

Lectio viij.

NOs verò, ſi vitam æternam conſequi volumus, ſi largitorem immortalitatis habere in nobis deſideramus, ad recipiendam benedictionem libentèr concurramus, caueamuſque ne loco laquei damnoſam reſigionem diabolus nobis prætendat. Rectè (inqui) dicis: ſcriptum tamen eſſe non ignoramus, iudicium ſibi comedere, atque bibere illum, qui de pane comedit, & de calice bibit indignè. Ego igitur probo meipſum, & indignum inuenio. Quando igitur quicumque tu es qui iſta dicis, dignus eris? quando Chriſto teipſum offeres? Nam ſi peccando indignus es, & peccare non deſinis, (quis enim delicta intelligit? ſecundum Pſalmiſtam) expers omninò eris viuificæ huius ſanctificationis. ℟. Miſit me viuens Pater.

Lectio ix.

QVare pias quæſo cogitationes ſuſcipias, ſtudioſè, ſan-

ſanctèque viuas, & benedictionem participes: quæ (mihi crede) non mortem ſolùm, verùm etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cùm in nobis maneat Chriſtus ſæuientem membrorum noſtrorum legem: pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, colliſos redintegrat: & ſicut paſtor bonus, qui animam ſuam pro ouibus poſuit, ab omni nos erigit caſu. Te Deum.

Quotieſcumque tàm in primis, quàm in ſecundis Veſperis fit ſaltem commemoratio de Officio Sanctiſs. Sacramenti, aut B.M.V. huiuſmodi, ad hymnũ Cõplet. dicitur Ieſu tibi ſit gloria. Ex decr. S.R.C. anni 1629.

99 960017

OFFICIVM
DE
B. VIRGINE MARIA
Pro Clericis Regularibus.

EX CONCESSIONE

CLEMENTIS PAPAE X.

Quolibet Sabbato per annum Officio nouem Lectionum non impedito, recitandum.



ROMÆ. Ex Typographia R.C. Apoſtolicæ. M.DC.LXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

OFFICIVM
DE
B. VIRGINIS MARIA
Pro Clericis Regularibus.
EX CONCESSIONE
CLEMENTIS PAPAE X.

Quolibet Sabbato per annum Officio nouem Lectionum non impedito, recitandum.



ROMAE Ex Typographia R.C. Apostolica. [illegible]

[illegible]

OFFICIVM DE B. VIRGINE MARIA

AD VESPERAS

Antiph. Dum eſſet Rex &c. cum reliquis Antiph. & Pſal. vt in Off. paruo B.M.V.

Capit. Ab initio &c. Hymnus. A ue Maris Stella &c.

℣. Dignare me laudare te Virgo ſacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

Ad Magnificat Antiph.

Sancta Maria, ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro Clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem.

Oratio à Natiuit. vſq; ad Octauam Purificationis incluſiuè.

DEus, qui ſalutis æternæ, Beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præſtitiſti, tribue quæſumus, vt ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, &c.

Ab Octaua Purificationis vſq; ad Aduent. Oratio.

COncede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere: & glorioſa Beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum noſtrũ, &c.

Ad Complet. & per Horas, in fine Hymn. dicitur Ieſu, tibi ſit gloria, &c.

Ad Matutinum. Inuitator.

Sancta Maria Dei Genitrix virgo, intercede pro nobis.

Pſ. V enite exultemus. Hymn. Q uem terra, &c. Antiph. & Pſ. Noct. vt in Offic. paruo B.M.

In primo Nocturno.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.

℟. Intende, proſpere, procede, & regna.

Lectiones primi Noct. leguntur de Scriptura occurrente.

℟. I. Sancta, & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam neſcio: * quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus vẽtris tui. Quia quem cœli, &c.

℟. II. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominũ, quia cum eſſem paruula, placui Altiſſimo: * Et de meis viſceribus

genui

genui Deum, & hominem.
℣ Beatã me dicent omnes generationes, quia ancillam humilẽ reſpexit Deus. Et de meis viſceribus, &c.
℟.ii Beata es Virgo Maria, quę Dominum portaſti Creatorem mundi: * Genuiſti qui te fecit, & in æternum permanes virgo.
℣. Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuiſti qui te fecit, &c. Gloria Patri, &c. Genuiſti, &c.

In ſecundo Nocturno

℣ Adiuuabit eam Deus vultu ſuo.
℟ Deus in medio eius non cõmouebitur.

A Natiuitate vſque ad Purificationem.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Sermo 18. de Sanctis in med.

Lectio iiij.

Exultat Maria, & matrem ſe læta miratur, & de Spiritu ſancto ſe peperiſſe gaudet; nec quia peperit innupta terretur: ſed quia genuerit, cum exultatione miratur. O fœmina ſuper fœminas benedicta, quæ virum omninò non nouit, & virum ſuo vtero circundedit. Circundat virum Maria Angelo fidem dando, quia Heua perdidit virum conſentiendo. O felix obedientia, ò inſignis gratia: quæ dum fidem humiliter dedit, cœli in ſe opificem corporauit. Hinc promeruit gloriam, quam ipſa poſtmodum hauſit. Ecce, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
℟ Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myrrha electa, * Dedi ſuauitatem odoris.
℣ Et ſicut cinnamomum, & balſamũ aromatizans. Dedi, &c.

Lectio v.

O Beata Maria, quis tibi dignè valeat iura gratiarũ, ac laudum præconia rependere, quæ ſingulari tuo aſſenſu mundo ſuccurriſti perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis perſoluat, quæ ſolo tuo commercio recuperãdi aditum inuenit? Accipe itaque quaſcũque exiles, quaſcumque meritis tuis impares gratiarum actiones: & cum ſuſceperis vota, culpas noſtras orando excuſa. Admitte noſtras preces intra Sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis.
℟ Quæ eſt iſta quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tamquam Ieruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudauerunt eam.
℣. Et ſicut dies verni circundabant eam flores roſarum, & lilia conuallium. Viderunt eã, &c.

Lectio vj.

Sit per te excuſabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poſcimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excuſa quod timemus: quia tu es ſpes vnica peccatorum. Per te ſperamus veniam delictorum, & in te beatiſſima noſtrorũ eſt expectatio præmiorum. Sancta Ma-

Maria, ſuccurre miſeris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: Sentiant omnes tuum iuuamen, quicumq; celebrant tuam ſanctam commemorationem.

℟. Ornatam monilibus filiam Ieruſalem, Dominus concupiuit: *Et videntes eam filiæ Sion, beatiſſimam prædicauerunt, dicentes: * Vnguentum effuſum nomen tuum.

℣. Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtito deaurato, circundata varietate. Et videntes, &c. Gloria Patri, &c. Vnguentum, &c.

In tertio Nocturno.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam.

℟. In tabernaculo ſuo habitare facit eam.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Lucam.

Lectio vii. *Cap. 2. b.*

IN illo tempore: Paſtores loquebātur ad inuicem: Tranſeamus vſque Bethleem, & videamus hoc Verbum quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis. Et venerunt feſtinantes. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 2. in cap. 2. Lucæ circa med.

VIdes feſtinare Paſtores. Nemo enim cum deſidia Chriſtum requirit. Vides Paſtores Angelo crediſſe: & tu Patri, Filio, Spiritui ſancto, Angelis, Prophetis, & Apoſtolis credere non vis? Vide, quam ſignanter Scriptura ſingulorum libret momenta verborum. Feſtinant, inquit, Verbum videre. Etenim cum caro Domini videtur, Verbum videtur, quod eſt Filius.

℟. Felix namque eſt ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: * quia ex te ortus eſt Sol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interueni pro Clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: Sentiant omnes tuum iuuamen, quicūque celebrant tuam ſanctam commemorationem. Quia ex te, &c.

Lectio viii.

NOn mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, quod vilis ſit perſona paſtorū. Certè quò vilior ad prudentiā, eò pretioſior ad fidem. Non gymnaſia choris referta ſapientum, ſed plebem Dominus ſimplicem requiſiuit, quæ phalerare audita, & fucare neſciret. Simplicitas enim quæritur, non ambitio deſideratur.

℟. Beatā me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.

℣. Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit, &c. Gloria Patri, &c. Quia fecit, &c.

Lectio ix.

NEc cōtemnēda putes quaſi vilia verba paſtorum. A paſtoribus enim Maria fidem colligit. A Paſtoribus populus ad Dei reuerentiam congregatur. Mirati etiam ſunt omnes, qui audierunt, de iis, quæ dicebant-

bantur à Paſtoribus ad ipſos. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Diſcamus ſanctæ Virginis in omnibus caſtitatē, quæ non minus ore pudica, quàm corpore, argumenta fidei conferebat in corde.

Te Deum laudamus.

AD LAVDES, & per Horas, Antiph.

Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis. Pſal. Dominus regnauit, & c. cum reliquis.

Antiph. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Antiph. Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem: Ideò dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum ſuum.

Antiph. Iam hyems tranſijt, imber abijt, & receſſit: ſurge amica mea, & veni.

Antiph. Speciosa facta es, & ſuauis in delicijs tuis, ſancta Dei genitrix.

Capitulum. *Eccl. 24.*

Ab initio, & ante ſæcula creata ſum, & vſq; ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui.

Hymnus. O glorioſa Virginum, &c.

℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus. Antiph.

Beata es Maria, quæ credidiſti: perficientur in te, quæ dicta sūt tibi à Domino, Alleluia.

Oratio. Deus qui ſalutis, &c. vt ſupra in Veſp.

Antiph. Pſal. & Reſponſ. breuia vt in Offic. S. M. in Sabbato.

In ſecundis Veſperis à Capit. de Dominica occur. cum cōmem. B. M. Et ſi fuerit feſtum dupl. fit offic. de feſto cum cōmem. Domin. & B. M. vt infra.

Beatam me dicent omnes generationes: quia ancillam humilem reſpexit Deus.

℣. Dignare me laudare te Virgo ſacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos. Oratio vt ſupra.

Ab Octaua Purificationis vſq; ad Quadrageſimam.

In ſecundo Noct.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Serm. in cap. 12. Apoc. ante medium.

Lectio iiij.

Nouum fecit Dominus ſuper terram, vt mulier circundaret virum, nec alium, quàm Chriſtū, de quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomen eius. Nouum quoque fecit in cœlo, vt mulier Sole appareret amicta. Denique & coronauit eum, & viciſſim ab eo meruit coronari. Egredimini filiæ Syon, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater ſua. Verùm hoc aliàs. Interim ſanè ingredimini magis, & videte Reginam in diademate, quo coronauit eam Filius ſuus. In capite, inquit, eius corona Stellarum duodecim.

℟. Sicut cedrus, &c.

Lectio v.

DIgnum planè Stellis coronari caput, quod & ipſis longè clarius micans, ornet eas potiùs, quàm ornetur ab eis. Quid ni coronent Sidera, quam Sol veſtit? Sicut dies verni circundabant eam flores roſarũ, & lilia conuallium. Nimirum læua ſponſi ſub capite eius, & iàm dextera illius amplexatur eam. Quis illas æſtimet gēmas? quis ſtellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum eſt? ℟. Quæ eſt iſta, &c.

Lectio vj.

QVid ergo ſidereum micat in generatione Mariæ? planè quòd ex regibus orta, quòd ex ſemine Abrahæ, quòd generoſa ex ſtirpe Dauid. Si id parum videtur, adde, quòd generationi illi ob ſingulare priuilegium ſanctitatis diuinitùs noſcitur eſſe cōceſſum: quòd longè ante eiſdem fratribus cœlitus repromiſſa, quòd myſticis præfigurata miraculis, quòd oraculis prænũciata propheticis. Hanc enim Sacerdotalis virga, dum ſine radice floruit: hanc Gedeonis vellus, dum in medio ſiccæ areæ maduit: hanc in Ezechielis viſione Orientalis porta, quæ nulli vnquam patuit, præſignabat.

℟. Ornatam monilibus, &c.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

Lectio vij. c. 11. d.

IN illo tempore: Loquente Ieſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Preſbyteri.

Lib. 4. c. 49. in Luc. 11.

MAgnæ deuotionis, & fidei hæc mulier oſtenditur, quæ Scribis, & Phariſæis Dominum tentantibus, ſimul & blaſphemantibus tanta eius incarnationem præ omnibus ſinceritate cognoſcit, tanta fiducia confitetur, vt & præſentium procerum calumniam, & futurorum confundat hæreticorum perfidiam. Nam ſicut tunc Iudæi, ſancti Spiritus opera blaſphemando verum, conſubſtantialemque Patri Dei Filium negabāt: ſic hæretici poſtea negando, Mariam ſemper Virginem, ſancti Spiritus operante virtute, naſcituro cum humanis mēbris vnigenito Dei, carnis ſuæ materiam miniſtraſſe, verum, conſubſtantialemque Matri Filium hominis fateri non debere dixerunt.

℟. Felix namque, &c.

Lectio viij.

SEd ſi caro Verbi Dei ſecundùm carnem naſcētis à carne Virginis Matris pronunciatur extranea, ſine cauſa venter, qui eam portaſſet, vbera, quæ lactaſſent, beatificantur. Dicit autem Apoſtolus: quia miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. Neq; audiendi ſunt, qui legendum putant: natum ex muliere, factum ſub lege, ſed factum ex

muliere: quia conceptus ex vtero virginali, carnem non de nihilo, non aliundè, ſed materna traxit ex carne: alioquin nec verè Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Et nos igitur his contra Eutychen dictis, extollamus vocem cum Eccleſia Catholica, cuius hæc mulier typum geſſit, extollamus & mentem de medio turbarum, dicamuſque Saluatori: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti, verè enim beata parens, quæ, ſicut quidam ait: Enixa eſt puerpera Regem, qui cœlum terrāque tenet per ſæcula.

℟. Beatam me dicent, &c.

Lectio ix.

Quinimmò beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt. Pulchrè Saluator atteſtationi mulieris annuit, non eam tantummodò, quæ Verbū Dei corporaliter generare meruerat, ſed & omnes, qui idem Verbum ſpiritalitèr auditu fidei concipere, & boni operis cuſtodia, vel in ſuo, vel in proximorum corde parere, & quaſi alere ſtuduerint, aſſeuerans eſſe beatos: quia & eadem Dei Genitrix, & inde quidem beata, quia Verbi incarnandi miniſtra facta eſt temporalis; ſed inde multò beatior, quia eiuſdem ſemper amandi cuſtos manebat æterna.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, & per Horas omnia vt ſupra. Oratio Concede, &c.

A Paſcha vſque ad Pentecoſten.

In ſecundo Nocturno.

Sermo Sancti Io: Chriſoſtomi Apud Metaphraſt.

Lectio iiii.

Dei Filium non diuitem, aut locupletem aliquā fœminam ſibi Matrem elegit, ſed beatam Virginem illam, cuius anima virtutibus ornata erat. Cum enim beata Maria ſupra omnem humanam naturā caſtitatem ſeruaret, propterea Chriſtum Dominum in ventre concepit. Ad hanc igitur ſanctiſſimam Virginē, & Dei Matrem accurrentes, eius patrocinijs vtilitatem aſſequamur. Itaque quæcunque eſtis virgines, ad Matrem Domini confugite. Illa enim pulcherrimam, pretioſiſſimam, & incorruptibilem poſſeſſionē patrocinio ſuo vobis conſeruabit.

℟. Sicut cedrus, &c.

Lectio v.

Magnum reuera miraculū, fratres dilectiſsimi, fuit beata ſemper Virgo Maria. Quid namque illa maius, aut illuſtrius vllo vnquam tempore inuentum eſt, ſeu aliquando inueniri poterit? Hæc ſola cœlum ac terram amplitudine ſuperauit. Quidnam illa ſanctius? Non Prophetæ, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiā inter creatas res

viſibiles, aut inuiſibiles, maius, aut excellentius inueniri poteſt. Eadem ancilla Dei eſt, & Mater: eadem virgo, & genitrix. ℞. Quæ eſt iſta, &c.

Lectio vj.

HÆc eius Mater eſt, qui à Patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli & homines agnoſcunt Dominum rerum omnium. Viſne cognoſcere quantò Virgo hæc præſtantior ſit cœleſtibus potẽtijs? Illę cum timore, & tremore aſſiſtunt, faciem velantes ſuã: Hæc humanum genus illi offert, quem genuit. Per hanc & peccatorum veniam conſequimur. Auc igitur Mater, cœlũ, puella, virgo, thronus, Eccleſiæ noſtræ decus, gloria, & firmamentum; aſſiduè pro nobis precare Ieſum Filium tuum, & Dominum noſtrum: vt per te miſericordiam inuenire in die iudicij, & quæ repoſita ſunt ijs, qui diligunt Deum, bona conſequi poſſimus, gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: cum quo Patri ſimul & ſancto Spiritui gloria, & honor, & imperium nunc & ſemper in ſæcula ſæculorũ. Amen. ℞. Ornatam monilibus, &c.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

Lectio vij. *Cap. 19.*

IN illo tempore: Stabant iuxta Crucem Ieſu Mater eius, & ſoror Matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 119. in Ioannem.

HÆc nimirum eſt illa hora, de qua Ieſus aquam conuerſurus in vinum, dixerat Matri: Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoſcere moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo diuina facturus, non diuinitatis, ſed infirmitatis matrem velut incognitam repellebat: Nũc autem humana iam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano. Moralis igitur inſinuatur locus. Facit quod faciendum admonet, & exemplo ſuo ſuos miniſtros inſtruxit præceptor bonus, vt à filijs pijs impendatur cura parẽtibus: tanquam lignum illud, vbi erãt fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis. ℞. Felix namque, &c.

Lectio viij.

EX hac ſacra doctrina didicerat Paulus Apoſtolus, quod docebat, quando dicebat: Si quis autem ſuis, & maximè domeſticis nõ prouidet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Quid autem tam cuiq; domeſticum, quàm parentes filijs, aut parentibus filij? Huius itaque ſaluberrimi præcepti ipſe Magiſter Sãctorum de ſe ipſo conſtituebat exemplum: quando non vt famulæ Deus, quam creauerat, & regebat, ſed vt matri homo, de qua creatus fuerat,

rat, & quam relinquebat, alterũ pro ſe quodammodo filiũ prouidebat.

℟. Beatam me dicent, &c.

Lectio ix.

NAm cur hoc fecerit, quod ſequitur indicat: Ait enim Euangeliſta: Ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſua: de ſe ipſo dicens. Sic quippè commemorare ſe ſolet, quòd eum diligebat Ieſus: qui vtique omnes, ſed ipſum præ cæteris, & familiàrius diligebat, ita vt in conuiuio ſuper pectus ſuum diſcumbere faceret: credo, vt iſtius Euangelij, quod per eum fuerat prædicaturus, Diuinam excellentiam hoc modo altiùs commendaret. Sed, in quę ſua Ioannes Matrem Domini accepit? Neque enim non ex eis erat, qui dixerunt ei: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te. Sed ibi quoque audierat: Quicunque iſta dimiſerit propter me, accipiet in hoc ſæculo centies tantùm. Habebat ergo ille diſcipulus cẽtupliciter plura, quàm dimiſerat: In quæ ſuſciperet eius matrem, qui hęc illi donauerat. Sed in ea ſocietate beatus Ioannes receperat centuplum, vbi nemo dicebat aliquid ſuũ: Sed erant illis omnia communia: ſicut in Apoſtolorum Actibus ſcriptum eſt. Sic enim Apoſtoli erant quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes. Te Deum laudamus.

Ad laudes, & per Horas omnia vt ſupra. Oratio Concede, &c.

A Pentecoſte vſque ad Aduentum,

PER TOTVM MENSEM IVLII.

In ſecundo Nocturno.

Ex libro S. Epiphanij Epiſcopi aduerſus Hæreſes.

Lib. 3. hær. 78. poſt med.

Lectio iiij.

BEata Mater Dei Maria per Heuam ſignificatur, quæ per ænigma accepit, vt Mater viuentium vocetur. Illa etenim Mater viuentium vocata eſt, etiam poſtquam audiuit: Terra es, & in terram reuerteris, poſt tranſgreſſionem. Et mirum eſt, quòd poſt tranſgreſſionem hoc magnum cognomen habuit. Et quod quidem pertinet ad rem ſenſibilem, ab illa Heua omnis hominum generatio deducta eſt in terra: hic autem verè à Maria hæc vita mundo genita eſt, vt viuentem gigneret, & fieret Maria Mater viuentium. Per ænigma igitur Maria Mater viuentium appellata eſt.

℟. Sicut cedrus exaltata ſũ, &c.

Lectio v.

HEuæ datum eſt operire corpus ſenſibile propter nuditatem ſenſibilem: Mariæ verò datum eſt à Deo, vt pareret nobis Agnum, & ouem, & ex gloria ipſius Agni, & ouis fieret nobis à vellere ſapientiæ, per virtutem ipſius indumentũ incorruptibilitatis. Heua etiam mortis cauſa facta eſt hominibus: per ipſam enim mors ingreſſa eſt in mundum: Maria verò

verò cauſa vitæ, per quam genita eſt nobis vita, & per hanc Filius Dei aduenit in mundũ:& vnde illata eſt mors, illinc proceſſit & vita, vt vita pro morte fieret: & qui per mulierem nobis vita factus eſt, mortem ex muliere inductam excluderet. Et quoniam illic Heua, cùm adhuc eſſet virgo, per inobedientiã tranſgreſſa eſt: è contrario per Virginem obedientia gratiæ facta eſt, annunciato aduentu in carne de cœlo, & vita æterna. ℟. Quæ eſt iſta, &c.

Lectio vj.

DE Maria accipitur (liceat mihi hoc dicere) quod ſcriptum eſt de Eccleſia: Relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuã, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna. Sanctus autem Apoſtolus dicit: Myſterium hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia. Et vide ſcripturarũ accuratam dicendi proprietatem, quòd de Adam quidem dixit, formauit: de Heua verò non formatam eſſe, ſed ædificatam. Accepit enim, inquit, vnam de coſtis eius, & ædificauit ipſi in vxorem. Quò oſtendat, Dominum quidem de Maria efformaſſe ſibi ipſi corpus, ab ipſa verò coſta ædificatam eſſe Eccleſiam, in eo quod punctum, & apertum eſt ipſius latus, & myſteria ſanguinis, & aquæ, pretia redemptionis facta ſunt. ℟. Ornatã monilibus.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

Lectio vij. *Cap. 11. d.*

IN illo tempore: Loquente Ieſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portauit. Et reliqua.

Homilia Sãcti Io: Chryſoſtomi

In c. 12. Matth. hom. 45. poſt init.

VNa ſola, & vera, & communis nobilitas, atq; neceſſitudo cum Chriſto eſt, vt voluntatem Dei facias: hic propinquitatis modus multò melior eſt, atque vberior: idcircò, cùm mulier quædam dixiſſet: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti, non reſpondit: Nullus me portauit venter, nec vlla ipſe vbera ſuxi: ſed beati qui faciunt voluntatem Patris mei. Vides quemadmodum nullibi coniunctionem hãc naturæ hominum negat, ſed addit ſemper illam, quę à virtutibus eſt.

℟. Felix namque, &c.

Lectio viij.

NOn dixit, ſe non habere matrem, ſed inde matrem quoque ſuam beatitudinẽ conſecuturam aſſeruit, ſi Patris eius faceret voluntatem. O admirabilẽ honorem: ò virtutis incredibiles honores, quò ducitis benè viuentes homines? Quot mulieres ſanctiſſimam illã Virginem beatificarunt, quot vterum illum admirantur, quot optarunt tales fuiſſe matres, & cętera contemnere omnia? quid igitur prohibet?

℟. Beatam me dicent, &c.

Le-

Lectio ix.

Ecce namque rectam, atque facilem viam nobis propoſuit, vt non fœminis ſolùm, verùm etiam viris ad hunc ordinem peruenire liceat: immò verò etiam ad maiorem: multò enim propinquiores Deo ſunt, qui voluntatem eius faciunt, quàm qui ſũma carnis neceſſitudine coniunguntur. Nõ ergo ſimpliciter propinquitatem illam deſidera, verùm etiam viã capeſce, magnoque ſtudio conſice, quæ ad hoc deſiderium te perducunt.

Te Deum laudamus, &c.

PRO MENSIB. AVGVSTI, ET SEPTEMBRIS.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Cyrilli Epiſcopi Alexandrini.

Hom. contra Neſtor. Lectio iiij.

Hilarem video cœtum fidelium omnium, qui cõuenerunt promptis animis, à Sancta, & Dei Matre Maria ſemper Virgine cõuocati. Laus & gloria ſit tibi Sancta Trinitas, quæ omnes nos ad hanc celebritatem conuocaſti. Sit etiam tibi Sancta Dei Mater laus. Tu enim es pretioſa Margarita orbis terrarum: Tu Lampas inextinguibilis, Corona virginitatis, Sceptrum orthodoxæ fidei, Tẽplum indiſſolubile, continens eum, qui nuſquam contineri poteſt; mater, & virgo; per quã benedictus qui venit in nomine Domini, in ſanctis Euangelijs nominatur.

℟. Sicut cedrus, &c.

Lectio v.

Per te Trinitas ſanctificatur, per te Crux pretioſa celebratur, & adoratur in toto orbe terrarum. Per te exultat cœlum, lætantur Angeli, & Archangeli, fugantur dæmones, & homo ipſe ad cœlum reuocatur. Per te omnis creatura idolorum errore detenta, conuerſa eſt ad agnitionem veritatis, & fideles homines ad ſanctũ baptiſma peruenerunt, atque in toto orbe terrarum constructæ ſunt Eccleſiæ.

℟. Quæ eſt iſta, &c.

Lectio vj.

Te adiutrice gentes veniunt ad pœnitẽtiam. Quid plura? Per te vnigenitus Dei Filius, vera illa lux effulſit ſedentibus in tenebris, & vmbra mortis. Per te Prophetæ prænũciarunt, per te Apoſtoli ſalutem Gentibus prædicarunt. Quiſnam poterit tuarum laudum præconia explicare, Maria mater & virgo? Hanc fratres dilectiſſimi, celebremus, eius Filium Eccleſiæ Sponſum immaculatum adorantes: Cui honor, & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

℟. Ornatam monilibus, &c.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

Lectio vij. *Cap. 11. d.*

In illo tempore: Loquente Ieſu ad turbas: Extollens vocem quædã mulier de turba, dixit illi: Beatus vẽter, qui te portauit. Et reliqua.

Ho-

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi *De ſancta virginit. cap. 3.*

QVid aliud nos docet Dominus, niſi carnali cognationi genus noſtrum ſpiritale præponere: nec inde beatos eſſe homines, ſi iuſtis, & ſanctis carnis propinquitate iunguntur: ſed ſi eorum doctrinæ, ac moribus obediendo, atque imitando cohæreſcunt? Beatior ergo Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti nam & dicenti cuidam: Beatus venter, qui te portauit: ipſe reſpondit: Immò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

℟. Felix namque, &c.

Lectio viii.

DEnique fratribus eius, id eſt, ſecundum carnem cognatis, qui in eum crediderant, quid profuit illa cognatio? Sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi feliciùs Chriſtum corde, quàm carne geſtaſſet. Ipſa quoque virginitas eius ideo gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Chriſtus viro violaturo, quam conſeruaret, ipſe præripuit; ſed priuſquam conciperetur, iam Deo dicatam, de qua naſceretur, elegit.

℟. Beatam me dicent, &c.

Sermo Sancti Irenæi Epiſcopi, & Martyris.

Lib. 3. aduerſus hereſ. cap. 32.

Lectio ix.

ERrant, qui dicunt, Chriſtum nihil ex Virgine accepiſſe; vt abijciant carnis hæreditatem, abijciant autem & ſimilitudinem. Hoc autem dicere eſt, & putatiuè apparuiſſe eum, & tamquam hominem, cùm non eſſet homo, & factum eum hominem, nihil aſſumentem de homine. Si enim non accepit ab homine ſubſtantiam carnis, neque homo factus eſt, neque filius hominis: & Apoſtolus Paulus in Epiſtola, quæ eſt ad Galatas, manifeſtè ait: Miſit Deum filium factum de muliere. Et ruiſus in ea, quæ eſt ad Romanos: De filio autē, inquit, eius, qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecūdùm carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorū Ieſu Chriſti Domini noſtri. Ceterùm ſuperuacua eſt in Mariā deſcenſio eius: quid enim in eam deſcendebat, ſi nihil incipiebat ſumere ab ea? aut ſi nihil ſumpſiſset ex Maria, nunquam eas percepiſset eſcas, per quas nutritur corpus, nec quadraginta diebus eſuriſſet corpus eius, ſuam querens eſcam. Te Deum laudamus.

Ad Laudes, & per Horas omnia vt ſupra. Oratio Concede, &c.

PRO MENSIBVS OCTOBRIS, ET NOVEMBRIS vſque ad Aduentum.

In ſecundo Nocturno.

Ex Epiſtola S. Ambroſij Epiſcopi ad Siricium Papam.

Ep. 81. al. 7. poſt init.

Lectio iiij.

DE via peruerſitatis produntur dicere: Virgo concepit, ſed non Virgo generauit. Potuit ergo Virgo concipere, non potuit Virgo generare, cùm ſemper conceptus præcedat, partus ſequatur? Sed ſi doctrinis nō creditur Sacerdotum, credatur oraculis Chriſti, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non eſt impoſſibile Deo omne verbum. Credatur ſymbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit, & ſeruat. Audiuit Maria vocem Angeli, & quæ antè dixerat: Quomodo fiet iſtud? Non de fide generationis interrogans, reſpondit poſteà: Ecce ancilla Domini, contingat mihi ſecundum verbum tuum.

℟ Sicut cedrus, &c.

Lectio v.

Ex libro S. Hieronymi Præsbyteri aduerſ. Iouin.

Ex Apolog. ad Pammach. pro lib. aduerſ. Iouin. in fin.

CHriſtus virgo, mater virginis noſtri virgo perpetua, mater & virgo. Ieſus enim clauſis ingreſſus eſt oſtijs: & in ſepulchro eius, quod nouum, & in petra duriſſima fuerat exciſum, nec antea quis, nec poſtea poſitus eſt. Hortus concluſus, Fons ſignatus: de quo fonte ille fluuius manat, iuxta Ioel, qui irrigat torrentem, vel funium, vel ſpinarum: funium peccatorum, quibus ante alligabamur: ſpinarum, quæ ſuffocant ſementem patris familias. Hæc eſt porta orientalis, vt ait Ezechiel, ſemper clauſa, & lucida, operiens in ſe, vel ex ſe proferens Sancta Sanctorum: per quam Sol iuſtitiæ, & Pontifex noſter ſecundùm ordinem Melchiſedech ingreditur, & egreditur.

℟ Quæ eſt iſta, &c.

Lectio vj.

Ex libro S. Irenæi Epiſcopi, & Martyris aduerſus Hæreſ.

lib. 5. cap. 19.

IN ſua propria veniente Domino, & ſua propria eum baiulante conditione, quę baiulatur ab ipſo, & recapitulationem eius, quæ in ligno fuit inobedientiæ, per eam, quæ in ligno eſt, obedientiam faciente, & ſeductione illa ſoluta, qua ſeducta eſt malè illa, quæ iam viro deſtinata erat virgo Heua; per veritatem euangelizata eſt benè ab Angelo iam ſub viro Virgo Maria. Quemadmodum enim illa per angelicum ſermonem ſeducta eſt, vt effugeret Deum, præuaricata verbū eius: ita & hæc per angelicum ſermonem euangelizata eſt, vt portaret Deum, obediens eius verbo. Et ſicut illa ſeducta eſt, vt effugeret Deum; ſic hæc ſuaſa eſt obedire Deo, vti virginis Heuæ Virgo Maria fieret aduocata. Et quemadmodū adſtrictum eſt morte genus humanū per virginem, ſoluatur per virginem: æqua lance diſpoſita virginalis inobedientia per virginalem obedientiam.

℟ Or-

℟ Ornatam monilibus, &c.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11. d.

IN illo tempore: Loquente Ieſu ad turbas: extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit. Et reliqua.

Homilia S. Ioan: Chryſoſtomi.

In Io: c. 2, hom. 20, circa fin.

CVm audieris mulierem illam dicentem: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti: deinde Dominum reſpōdentem: Quinimmò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud: ea ſententia dictum exiſtima, non quòd matrem negligeret, ſed nihil ei vtilitatis matris nomen allaturum oſtenderet, niſi bonitate, & fide præſtaret. Quòd ſi Mariæ nihil ſine virtute materna charitas erat profutura, longè minus nobis patris, fratris, matris, filij bonitas, niſi aliquid noſtrum afferamus.

℟ Felix namque, &c.

Lectio viij

IN nullo nāq; alio, niſi in ſolis ſui ipſius virtutibus poſt diuinam gratiam de ſalute cuipiam ſperandum eſt. Nam ſi id profuturum erat per ſe Mariæ, profuiſſet etiam Iudæis, quorum conſanguineus erat Chriſtus ſecundum carnem; profuiſſet Ciuitati, in qua natus eſt; profuiſſet fratribus. At qui dum fratres rerum ſuarum curā habuerunt, nihil eis propinquitatis nomen profuit, ſed cum reliquo mundo damnati erant.

℟ Beatam me dicent, &c.

Lectio ix.

TVnc autem admirationi eſſe cæperunt, quando propria claruerunt virtute: patria verò nihil inde conſecuta cecidit, & incendio ambſumpta eſt: conciues miſerè interempti periere: conſanguinei ſecundum carnem nil ad ſalutem lucrati ſunt, deficiente virtutis patrocinio. Verùm Apoſtoli ante omnes clariſſimi euaſerunt, cū ſe ad veram, & expetendam eius familiaritatem, conſuetudinemque per obedientiam cōtulerunt. Hinc intelligimus fide ſemper nobis opus eſſe, & vita, quæ virtutibus luceat: hæc dumtaxat ſaluos nos facere poterit. Te Deum laudamus.

Ad Laudes, & per Horas omnia vt ſupra. Oratio Concede.

LAVS DEO.

Si tempore à Natiuitate vſque ad Purificationem occurrat aliquod Sabbathum non impeditum Officio nouem Lectionum, tunc Antiphonæ ad Veſp. Laudes, & per Horas dicuntur vt in Officio paruo S. M. in Sabbatho in dicto tempore. Tempore verò Paſchali ad Magnificat, & ad Benedictus dicitur Antiphona Regina Cæli. Ad Inuitatorium verò, Antiphonas, ℣.& ℟.additur Alleluia,& Pſalmi cuiuſcunque Nocturni dicuntur ſub vna Antiphona.